



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vincentii Lirinensis Galli, Pro Catholicae Fidei Veritate et
antiquitate, aduersus prophanas omnium hæreseon
nouationes Libellus**

Vincentius <Lerinensis>

Venetijs, 1549

De Dionysio Areopagita 31

urn:nbn:de:hbz:466:1-36089

Censura.

Hæc propositio perperam explicat euangelicam sententiam, præbens occasionem male sentiendi de diuinitate filij Dei cum Nestorio. Non enim singulari quodam amore Dei in ipsum Christus est filius Dei, neque adoptione & gratia, sed origine & natura.

Titulus 30. De Paulo apostolo.

Propositio Erasmi. Ad Philippen. 4.

TE rogo uera germanaq; coniunx.

Censura.

Temerarie à communi lectione Latina Paraphra= Hieron. ad
stes in Paraphrasi Latina recedit, quam passim sequuntur Eustochi.
catholici doctores, Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, de custodia
& quamplures alij. Neque audiendos censet Hieronymus uirginita=
eos, qui Paulum habuisse uxorem cōsingant, quòd Paulus tis.
uelit omnes esse sicut seipsum, de innuptis item & uiduis 2. Cor. 7
loquens bonum dicat illis esse si sic permāserint, sicut ipse.
Id autem nequaquam diceret, si uxorem ipse haberet.

Titulus 31. De Dionysio Areopagita.

Propositio Erasmi in epistola præposita

Paraphrasi 1. ad Corinth.

Dionysius, qui in secunda Hierarchia ecclesiastica
priscos ecclesiæ ritus satis copiose describit, eru=
ditis recentior quispiam fuisse uidetur, quàm fue=
rit Areopagites ille.

Censura.

Non uere eruditus, sed temerarijs & nouitatum studio=
sis uidetur non esse Dionysius Areopagites, qui libros ec=
clesiasticæ Hierarchiæ subscripserit. Quandoquidem ab
ipso Dionysio Areopagita fuisse conscriptos constat, pri=
-

DE TERMI. SCHOL. PARIEN.
mum ex ipsis ecclesie Hierarchie & alijs eiusdem aucto-
ris libris. Deinde clarorum uirorum testimonio idem com-
probatur. Postremo septima generali synodo id fit diluci-
dus, in qua magnus Dionysius appellatur is, qui libri scri-
psit ecclesiasticæ Hierarchie.

Titulus 32. De Theologia scholastica.
Propositio Erasmi prima in epistola præpo-
sita Paraphrasi Epistolæ
ad Ephesios.

Iam ars esse coepit Theologia potius quàm sapientia,
theatrica uerius quàm ad ueram pietatem accommo-
da. Hanc præter ambitionem & auaritiã uitiarunt &
aliæ pestes, adulatio, contentio & superstitio: quibus rebus
tandem eò uentum est, ut Christus ille purus propemodum
esset obrutus humanis cogitationibus lymphidissimi quon-
dam euangelicæ doctrinæ fontes, Philistæorum serobe op-
pleti: diuinæ scripturæ regula nunc huc, nunc illuc detorta
nostris seruiat affectibus potius, quàm gloriæ Christi. Qui-
dam pia certe mente conati sunt orbem ad pristinam stu-
diorum simplicitatem reuocare, atque à lacunis iam serè
turbidis ad uiuas illas ac purissimas scatebras reducere.
Eam ad rem conciliandam linguarum & bonarum (ut uo-
cant) literarum cognitio uisa est in primis conducere, qua-
rum neglectu uidemur huc prolapsi.

Censura.

Hæc propositio tres habet partes, quarum prima ina-
nuens Theologiam scholasticam esse artem potius huma-
na tractantem quàm diuina, ac spectaculis mundanis ma-
gis accommodam quàm pietati, perperam, ut aliæ multe,
ab hoc scriptore in odium illius asseritur. Nam quamuis ab